
1 Robertus mis. divina Sanctae Mariae in Via S.R.E. Presbyter Card
lis Bellarminus Archiep. Capuae. Universis et singulis praesentes
nostras litteras inspecturis, lecturis et legi auditoris, illi vel
illis, quem seu quos infra scriptum tangit negotium seu tangere po-
5 terit quomodolibet in futurum notum facimus, qualiter in Visitatio-
ne per nos facta mensibus praeteritis (1) ecclesiarum Civitatis Capuae
comperimus parochialem ecclesiam S^{ti} Salvatoris minoris, in qua con-
servabantur et ministrabantur sacramenta, esse indecentem, et populi
incapacem, eiusque redditus adeo tenues, ut ad victum curati, nedum
10 ad ipsius ecclesiae refectionem satis non sint, et proinde cum con-
silio coassumptorum Visitorum, eam univimus cum parochiali S^{tae}
Mariae in Abbate, cui etiam à nobis fuerat unita parochialis S^{ti}
Andreae ad portum fluvialem, eamque sic unitam transtulimus ad ec-
clesiam Sancti Vincentii de Vulturno similiter Capuanam, quae popu-
15 li capax, magnifica et decens est pro conservatione et ministratio-
ne Sacramentorum, prout ex decreto per nos desuper edito praedicta
et alia latius patent. Et quia in ipsa ecclesia S^{ti} Salvatoris am-
plius non celebratur sacrum, nec ecclesiastica sacramenta minis-
trantur, fuit nobis supplicatum per Rev. Ioannem Thomam Piccolelli
20 illius Curatum, ut ecclesiam ipsam profanare vellemus, ipsique li-
centiam concedi, pro conficiendo Altari titulari S^{ti} Salvatoris in
eadem ecclesia S^{ti} Vincentii, diruendi parietibus, vendendi imbricis,
et demum alicui eam concedendi; et considerantes nos requisitionem
huiusmodi fore iustam et rationi consonam, autoritate nostra ordi-
25 naria, ac etiam vigore Decreti Sacr. Conc. Tridⁿⁱ sess. XXI, cap. VII,
ac omnibus melioribus modo, via, iure et forma à iure permissis, dic-
tam ecclesiam S^{ti} Salvatoris profanamus, et ad usum profanum (non
autem sordidum) ponimus et reducimus. Itaque ex nunc in antea in
futurum perpetuo nullo modo nuncupari possit ecclesia, ab ea huius-
30 modi nomen omnino tollentes, sed tanquam res profana, absque metu

(1) 14 Nov. 1602

/ censurarum ab omnibus possit uti ad dictum usum profanum. Cum con-
ditione quod in pariete dictae ecclesiae a parte viae publicae po-
natur vel fiat crux lapidea, vel ex pictura in signum quod fuerit
ecclesia. Concedimusque licentiam et facultatem dicto Curato, ad
5 effectum iam dictum, diruendi partes, ac vendendi imbricis et lig-
namina in dicta ecclesia existentia illaque (non tamen absque nos-
tro consensu et beneplacito) alicui meliorem oblationem facienti
concedendi. et statuimus profanamusque et licentiam concedimus
non solum praesenti sed etiam omni alio modo.

10 Robertus Card. Bellarminus Archiepiscopus Capuae [autogr.]